



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **En Damvs Chronicon**

**Eusebius**

**Basileae, 1529**

**VD16 VD16 E 4266**

Reverendissimo In Christo Patri, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae TT: Ad  
Vincula Petri Cardinali, Moguntinensi ac Magdeburgensi Archiepiscopo,  
Principi Electori, Primati, &c. Administratori ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98136](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98136)

# REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI, SACROSAN

CTAE ROMANAE ECCLESIAE TT: AD

Vincula Petri Cardinali, Moguntinensi ac Magdenburgensi

Archiepiscopo, Principi Electori, Primati, &c. Ad

ministratori Halberstatensi, Marchioni Bran

denburgensi, &c. Ioannes

Sichardus. S. D.



V M T V V N V S S I S N O S T R A M E  
moria, Reuerendissime in Christo Pater, idemq; Illustris-  
sime Princeps, qui non modo prudentia atque eruditione  
non vulgari, deniq; omni uirtutis genere ceteros tui ordinis  
longo post te interuallo relinquis; uerum etiam iudicio, quo  
perpauci uel inter eruditos utcunq; sunt praediti, cum erudi-  
tissimis quibusque conferri possis, nihil mihi prius faciundū  
putaui, quā ut honesto aliquo nomine tuae Paternitati innotescerē: id quod eō  
etiam magis nobis fuit in uotis, quo tui similiū penuria uirtutes tuas prope diui-  
nas magis magisque reddit nostro seculo admirabiles: Sic enim natura ferē compa-  
ratū est, ut quo quidque inuentū sit rarius, hoc sibi propius animos mortaliū de-  
mereatur, atq; admiratione sui deuinciat. Qua gratia uel sola uidemus uniones  
gemmarum q; etiam minutias in precio esse qualque maiore, quō à populari usu  
longius recesserint. Cum autem à doctissimis quibusq; nostrae tempestatis tibi  
Principum longe clarissimo, ueluti patrono, aut potius numini cuiuspiam ad tuen-  
das ornatasq; literas à dijs immortalibus missō, lux artis ceu specimina quaedam  
dicari uideremus, atque nominatim inscribi, ut hoc pacto absolutum aliquod  
omnium uirtutum exemplar ad imitationem posteris statuerent, ceppi dispicere  
uiam, qua etsi ad laudes tuas ultra duraturas perpetuū momentum nullum adfer-  
rem, studium tamen meum non obscuro argumento erga eum declararem, cui  
& uitam debeo & patriam. Siquidem eo natus sum Franconia loco, cui tu sum-  
ma animi moderatione praes annis iam plurimis, non minore tua gloria, quā  
subditorum commodo: ut cum nominis tui celebrandi uoluntatem alijs, mihi  
etiam necessitate ipsa imponat. Hac de causa cum Chronicis nostris, in qui-  
bus commodum uersabamur, patronum quaereremus, sub cuius nominis splen-  
dore ueluti clypeo tutus cōtra nostrorū studiorū obrectatores exiret, idonea uisa  
est in primis tua Paternitas, sic de studijs merita, ut eorum causam cum libenter  
publicae utilitatis ergō sustineat, tum uel sola digna sit quae debeat: quando qui-  
dem recte dictum est, patronū solere causis nonnunquā esse argumento. Eiusmo-  
di uero est hoc scripti generis, quod tibi lectu non iniucundum fore confidimus,  
ceteris uero non parum etiā utilitatis allaturum: siquidem hoc solum ne semper  
puerissimus efficit: Quid enim est hominum aetas, ut rectissime Cicero alicubi  
dicit, nisi memoria rerum ueterum cum superiorū aetate contextitur? nescire enim  
ea quae antea quā natus sis acciderunt, id est semper esse puerum. Nos sanē  
quantum ingenio iudicioq; alse qui potuimus, dedimus operam, ut quae deprau-  
atissime hactenus legerentur pristino per nos nitori restituerentur: praesertim

a 2 quod

quod ad insignium urbium locorumq; nomina attineret, freti codicibus manu scriptis Cassiodori, Bedæ, Hermanni Contracti: Quibus ferè peculiariter studio fuit Eusebium quodammodo exprimere. Multa autem esse non imus inficias, in quibus restituendis fortasse rectius quispiam Delium natatorem, quam nostri similem requirat, ut sunt propè omnia Assyriorum, Aegyptiorum, Corinthiorum: Quorum apud nos historias, quod ego saltem sciam, ex professo nullus historicorum tractavit. Nec parum uero attulit difficultatis nobis institutum posteriorum Imperatorum, quibus ferè uoluptati fuit alia urbibus uel paupum ampliatis, uel aliquo beneficio affectis nomina indere: quorum per atatem Geographi nostri meminisse non potuerunt. Horum pleraque etsi parum non nunquam conuenire nobis uisa sunt, passim tamen sumus suum quidq; locum cum obtinere, quem iam antea occupauerat: eò quod deesset scriptum Eusebii exemplar, unde mendis fortasse mederi potuissemus, licet cuiusdam expectatio diu nos suspensos nec quicquam sollicitosq; tenuerit. Nec enim unquam hoc genus hominum probauit, qui ad emendandos autores ingressi, ut quidq; se obtulerit non ex omni parte aridens, sic paratum habent continuo temere fortasse confictum quod subrogent, motis interim loco uel legitimis, uel deprauiatis deprauiata computantes: cum nulla in re alia maior sit praestanda religio, quam ea quæ ne quidem leuissime deflecti sine summo piaculo potest. Adeo, ut cum alibi præclare meritis uideare, si id ad quod exprimentum te composueris, utcunque assequare, licet alicubi à proposito archetypo uel studio recedas, uel nolens etiam excidas: Hic uero etiam supplicio dignus iudicaris, si præter autoris uoluntatem, neque hoc postulante orationis filo, quod magis conuenire ducas infarcias: tanto magis futurus in noxa, si aut te iudicium fefellerit, aut ingressus edere aliena tuas obrudas naxias. Nos autem, ut nihil aliud, hanc certe à posteritate gratiam inibimus, ut qualiacuncq; tandem uideantur quæ edenda suscipimus, nugis nostris quam minimè obnoxia fuisse dicantur. Quod utinam ut fieret passim impetrari posset. Sed hæc alterius sunt loci. Redeo ad Eusebii Chronicon, clarissimum sanè opus, & huius argumenti solum ferè lectu dignum. In quo D. Hieronymus sic elaborandum sibi duxit, ut non tam interpretis fungere retur officio, quam scriptoris. Quæ enim ad res Romanas pertinent D. Hieronymo debemus, cum Græcos annales uel solos Eusebius prosecutus sit. Pleraque tamen eiusmodi sunt, ut neutrius consilio inserta deierare ausim, ut est series illa Consulum Romanorum, ipsi protinus frontilibri præfixa, tam corrupta, tamq; modis omnibus non coharès, ut cum ad T. Liuij, cui tamen hac in re præcipua fides debetur, scripta conferas, reperias quædam non modo temporibus non conuenire, uerum etiam ab uniuersa historia longissime aberrare. Cui tamen rei ut aliqua ex parte consulere mus, Cassiodori Patricij Romani, uiri quidè diligentis, cæterum non perinde eloquentis catalogum Consulum Romanorum adiunximus, nuper opera Ioannis Cochlaei, totius uetustatis studiosissimi, è situ erutum, & ad nos missam. Nec uero causa mihi uideat: cur anxie magis in hoc scripti genere eloquentiam requirendam existimes, quam breuitatem fide rerum gestarum suffultam: cum in nullum literarum argumentum minus cadere possit, quam ubi sic cuiusque seculi illustria dicenda sunt, ut digito cum indicasse sufficiat, id totum ferè pereat necesse est, quod aut in expoliendo temporis sumitur, aut egressionibus impenditur. Erit autem, nisi fallor, hoc nomine maxime eruditus usus, quod Consulum catalogum sic contexuit, ut nec quisquã alius aut diligentius, aut maiore temporum cursu: Exorsus nimirum à primis Consulibus, qui

Mutata nomi-  
na urbium.

Cassiodorus.

EPISTOLA NVNCVPATORIA SICHARDI.

bus, qui exactis regibus Romæ cœperunt creari, ad usque tempora Theoderici regis, annum uidelicet ab hinc plus minus millesimū. Præterea per nos adiectus est propter ea quæ in Germania memoratu digna acciderunt, Hermannus Contractus Comes Veringensis, quem constat ad imitationem Eusebij Casariensis Ephemerides suas perduxisse ad annū ab hinc quingentesimū in cœnobio D. Galli. Admonebat quidem locus ut nostrorū quoq; temporū res gestas memoria dignas in literas referremus, quando quidem in utraq; partem uix reperias ullam atatem tot tantisq; exemplis ad omne uirtutū genus insignem, eandemq; de se, quod saltem ad eiusmodi argumentū pertinet, tam mutam. Sed maluimus eos quibus plus est animi eius rei inuidiā subire; Nobis abunde præstitū uidetur, si recte antiquitus scripta tui similitum autoritate, nostro autem impendio laborē in lucem proferantur; numeraturi in maximo lucro, si conatus nostros cum literarū Candidatis, tum etiam tuæ paternitati probemus, id quod nos assecuturos facile speramus, si modo ea est dexteritas animi tui, quam certatim apud nos literis nobilitant Philippus Bucheymerus, & Martinus Goleius Decanus A. schaffenburgi. Quorum altero non tam fortuna, quæ audaces ferè iuuare solet, quam summa eruditione & fide nœdico uteris, altero à consilijs, uiro omni disciplinarum genere exculto, mihiq; etiam necessitudinis iure colendo. Quibus uelim imputet tua Paternitas, si audacius sumere mihi uidear ut te appellem.

Hermannus  
Contractus.

Philippus Bu  
cheymerus.

Martinus Go  
leius.

Accipe itaque hoc quicquid est muneris, & ei in bibliotheca tua, quam

diceris instructissimam posteritati destinasse, locū uel postremū do-

nato. Valeat reuerendissima Paternitas tua, quam studijs

literarum mihiq; quam diutissime Deus Opt. Max:

seruet incolumem. Basileæ mense Martio,

Anno M. D. XXIX.

a 3 EVSEBII